



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XCVI. Ioannis Papae VIII. Ad Isaac Episcopvm Lingonensem. Vt
Trecas ad Synodum veniat, & Cabilonum aliquos mittat qui pontificem eo
deducant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

oues creditas inuadendo dilaniet, & sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres carissimi, & totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, vt dilectionem vestram boni amoris sui constantia faciat magis magisque feruescere, atque in pace ecclesiæ & vna vos concedat manere concordia. Nuntiatum vero nobis est quia per Simoniacam hæresin ad sacros ordines quidam adducuntur, & hoc sancto fratri & coepiscopo nostro Rostagno per omnia prohibendum mandauimus: quod vt fraternitas vestra cognoscat & studiose custodiat, ipsa vobis est epistola relegenda. Data vt supra.

EPISTOLA XCVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ISAAC EPISCOPVM LINGONENSEM.

Vt Treas ad Synodum veniat, & Cabilonum aliquos mittat qui pontificem eo deducant.

Reuerentissimo Isaac venerabili episcopo Lingonensi.

QVOD sanctitati tuæ notum esse non ambigimus, pro sanctarum ecclesiarum statu ad Galliarum partes deuenimus. Quapropter, Domino auxiliante, apud Treas Synodum sumus celebraturi, ad quam sanctitatem tuam volumus omnino adesse. Prius tamen venerabilitas tua nobis missos Cabilonum dirigere studeat, qui iter nostrum recto tramite ad prædictum dirigant locum: & per parochiam vestram nobis congruas mansionaticas præparate, id est in villa Marmania, in pago Alhenfi. Data vt supra.

EPISTOLA XCVII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD OMNES CHRISTIANOS.

Excommunicat eos qui sibi equos & argenteum vas furati fuerant, nisi intra tres dies restituant.

Omnibus episcopis, comitibus, & cuncto populo Christiano.

NOTVM sit quia dum pro pace & vnitae sanctarum Dei ecclesiarum in Gallias venissemus, apud Cabilonum ciuitatem ad iniuriam sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & nostram, multam inhonorationem susti-

Concil. Tom. 24.

R